

hæreditatem, dum gratiam regenerationis et adoptionis promeruit.

Quod autem voluerit, ut eandem etiam nos bonis operibus mereremur, argumentum est amplioris gratiæ et benignitatis ipsius, qui (ut supra demonstravimus) non solum vitam æternam nos habere voluit jure hæreditatis, sed etiam jure promeritorum, quæ ut haberemus, ipse etiam dedit. Recte igitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. concludit, vitam æternam proponendam esse fidelibus, et tamquam gratiam filii Dei per Christum promissam, et tamquam mercedem bonis operibus a Deo juste, fideliterque reddendam.

Argumenta solvenda contra hanc doctrinam nulla sunt. Si qua enim erant, soluta sunt cap. superiore.

#### CAPUT XV.

*Bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ, nisi ex charitate procedat.*

Restat postrema conditio, quæ erat, ut opus bonum ex charitatis virtute procedat. Fuit enim singularis opinio Gulielmi Altisiodorensis lib. III. tractat. 10. cap. 1. quæst. 2. et cap. 2. quæst. 1. Meritum prius, et principaliter a fide, quam a charitate pendere. Quæ sententia non parum favere videtur erroribus hujus temporis hæreticorum, quamvis ille longe alio sensu fidem ita prædicet, ac hæretici facere soleant, sed profecto tam sunt aperta Scripturarum testimonia, ut mirum sit, egregium illum virum in ea re labi potuisse.

Primum enim disertis verbis charitati beatitudo promittitur. Joan. XIV. *Si quis diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum* (1). Esse autem in hac manifestatione sitam beatitudinem, idem Dominus testatur, cum ait, Matthæi v. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Joan XVII. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Et Apostolus Joannes in I. epist. cap. III. *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus enim quia cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti*

(1) Joan. XIV, 23. — (2) Math. V, 8; Joan. XVII, 3; I Joan. III, 2. — (3) I Cor. II, 9; I Cor. XIII, 2. — (4) Tim. IV, 8; Jacob. I, 12.

*est* (2). Præterea rursus de præmio charitatis Apostolus Paulus I Corinth. II. *Oculus, inquit, non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et I Corinth. XIII. *Si habuerom omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (3). At quo pacto, quæso, fides prius et principaliter felicitatem meretur, quam charitas, si homo fidem habens sine charitate nihil est? Idem Apostolus II ad Timoth. IV. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus iudex, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.* Item B. Jacobus cap. I. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam remisit Deus diligentibus se* (4).

Deinde argumenta omnia, quibus supra probatum est, formalem causam justificationis non esse fidem sine charitate, sed fidem charitate formatam, ita ut principaliter justitia vera et Christiana in charitate consistat, probant etiam meritum principaliter ex charitate pendere, quandoquidem præmium vitæ æternæ nihil est aliud nisi merces et corona justitiæ.

Tertio, idem probatur manifesta ratione. Nam meritum vitæ æternæ ita ex divina ordinatione dependet, ut illa sola opera proprie meritoria vitæ æternæ possint esse, quæ Deus ad vitam æternam acceptare dignatur. Est enim vita æterna veluti bravium quoddam, ut Scripturæ loquuntur; et in libera potestate principis proponentis bravium est, ut definiat quibus operibus, quo cursu, quo certamine bravium obtineri velit.

Porro charitatis opera ad vitam æternam a Deo requiri, perspicuum est, tum ex Scripturis paulo ante citatis, tum etiam ex ratione suavis providentiæ Dei; illa enim media Deus ordinare solet ad finem, quæ majorem cum illo proportionem et conformitatem habent. Nihil autem esse, quod majorem proportionem et conformitatem cum æterna felicitate habeat, quam dilectionem, et opera ex dilectione manantia, facile probari potest. Nam æterna felicitas est consecutio ultimi finis, atque adeptio summi boni; sola verò charitas est, quæ finem ultimum, summumque bonum tamquam objectum proprium respicit, atque ad

illud movet et ordinat actus virtutum omnium reliquarum. Inde est enim, quod ipsa sola vera dicitur et est forma et regina virtutum; et ipsi soli actus virtutum omnium quasi proprii ejus essent, ab Apostolo tribuuntur: *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat, etc.* (1). I ad Corinth. XIII.

Atque hæc est ratio, cur S. Augustinus lib. I. de moribus Ecclesiæ cap. 15. dixerit, virtutem esse amorem summi boni; et omnes virtutes per amorem definiendas esse censuerit. Non quod ignoraret propriam rationem temperantiæ, prudentiæ et aliarum virtutum non in amore, sed in alio actu sitam esse, sed ut ostenderet virtutes omnes a charitate moveri atque formari. Et easdem virtutes, non nisi charitate formatas, nos ad Deum promerendum posse perducere. Id enim in cap. 14. extremo posuerat, nos ad summum bonum non posse nisi dilectione, amore, charitate conscendere.

Ex quo intelligi poterit, quid illud fuerit, quod Altisiodorensis fefellit. Nam ex hoc loco S. Augustini perperam intellecto, collegit fidem ex propria ratione, et ut est virtus a charitate distincta, includere non solum cognitionem, sed etiam amorem primæ veritatis, ut proprium sit fidei, ut fides est, credere primæ veritati propter amorem ipsius primæ veritatis, et hoc distinguatur a charitate, quod fides sit cognitio, et amor primæ veritatis; charitas vero amor primæ veritatis: sed non erit opus in his refellendis diutius laborare, cum nemo sit vel medioeriter in morali disciplina versatus, qui nesciat, fidem non esse amorem, et amorem, non veritatem, sed bonitatem respicere.

His igitur ita constitutis quæri solet a Theologis: Utrum ad meritum vitæ æternæ satis sit, ut opus bonum procedat ab homine justo, et habitu charitatis prædito, an etiam requiratur, ut actu, vel virtute ab ipsa charitate procedat. Et quamvis non desint gravissimi auctores, qui sentiant, omne opus bonum hominis justum, et habitu charitatis præditi, vitæ æternæ meritorium esse: nobis tamen probabilius videtur ad meritum exigi, ut opus bonum, vel tunc, cum fit, actu imperetur a charitate, atque in Deum ut finem supernaturalem et ultimum referatur: vel certe nascatur ab actu imperato a charitate, atque in Deum ante relato, quod

est virtute, non actu in Deum referri.

Quo loco non est omitendum, quod prudenter monet S. Bonaventura in 2. sent. distinct. 41. art. 1. quæst. 3. non sufficere, ut opus virtute referri dicatur in Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, vel etiam diei, generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum; sed necesse esse, ut illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est. Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera causa operum, quæ postea fiunt, ut si quis apud se certo constituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare, et postea summam illam oblata occasione erogat: is dicitur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi dum pecunias illas distribuit, nihil de Deo cogitet.

Hæc sententia, quæ communior in scholis esse videtur, his argumentis confirmari potest. Primo Scriptura testatur Joan. xv. ita se habere homines justos ad Christum, ut palmites ad vitem; constat autem palmites non ferre fructum, nisi succum a vite traxerint; igitur neque homines justum (ut Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 16. explicat) opera meritoria facere possunt, nisi per illam gratiam, quam Christus in ipsos, ut vitis in palmites influit. Quod etiam confirmatur ex epistola Cælestini ad Gallos cap. 8. ubi legimus, non placere Deo, nisi opera illa, quorum ipse auctor est. Item ex Augustino, qui in epistol. 105. et alibi passim scribit, merita nostra munera esse Dei. Non igitur meritoria sunt opera bona tantum moraliter, quæ sine relatione in Deum per actum charitatis, a justis fieri possunt.

Secundo, Dominus Matth. v. cum ait: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis* (2). Sine dubio demonstrat, posse hominem justum facere aliqua bona moralia, quale est diligere amicum, quoniam ab illo diligeris, et tamen non habere mercedem in vita æterna. Idem etiam Matth. x. non ait: *Qui recipit justum, mercedem justum accipiet* (3). Sed qui recipit justum, in nomine justum, id est, ea intentione, quia servus Dei est. Et Matth. xix. cum diceret: *Omnis qui reliquerit patrem, vel matrem, etc., centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit, addere curavit, propter nomen meum* (4); ut etiam alibi sæpe addit, *propter me.* Et

(1) I Cor. XIII, 4. — (2) Math. V, 46. — (3) Mat. X, 41. — (4) Matth. XIX, 29.



cur Apostolus tam sollicitè monet I ad Corinth. x. et ad Colossens. iii. ut quicquid facimus, in nomine Domini, et in gloriam Dei faciamus; si omnia justorum opera ex se diriguntur in Deum, et meritoria sunt?

Tertio, illa solum opera meritoria sunt vitæ æternæ, quæ ex natura sua charitatem augent. Nam juxta communem Theologorum sententiam, omne meritum vitæ æternæ, simul etiam incrementi charitatis meritum est: at charitas non augetur nisi per actus, qui ex ipsa procedunt; id enim omnibus habitibus commune est. Igitur illa solum opera meritoria sunt vitæ æternæ, quæ vel sunt actus charitatis eliciti, vel saltem imperati.

Quarto, convenit inter omnes, ut opus referri debeat in Deum, ut finem supernaturalem, si futurum sit meritum vitæ æternæ; at opera virtutum cæterarum non referuntur in Deum ut finem supernaturalem, nisi a charitate imperentur, et dirigantur, nam si morales sint, non referuntur ex natura sua in Deum nisi ut finem naturalem; si theologica sint, respiciunt quidem Deum, ut obiectum supernaturale, sed non referuntur in eum, ut finem supernaturalem, vel ut summum bonum; igitur non sunt meritorii actus virtutum reliquarum, nisi a charitate imperentur et moveantur.

Respondent fortasse omnia bona opera justorum referri in Deum, ut finem supernaturalem, etiamsi a charitate non imperentur, tum quia ipse operans ratione habitualis charitatis est ordinatus in Deum. Tum quia quicumque recipit habitum charitatis infusæ, hoc ipso refert, atque ordinat omnia sua ad gloriam Dei.

At responsio non recte solvit argumentum. Nam subjectum ordinatum per habitum aliquem in finem non necessario communicat operi ordinationem in eundem finem, nisi ex illo habitu operetur, alioqui omnia opera hominis habitualiter a Deo aversi, et ad creaturam, ut ad finem ultimum conversi, essent ordinata ad perversum ultimum finem, atque adeo peccata essent mortalia, quod esse falsum et hæreticum, supra docuimus.

Item nulla esse possent in homine justo verba, vel facta otiosa; nam illa dicuntur et sunt otiosa, quæ carent debito fine: nulla vero justi verba, vel facta debito fine carerent, si ratione subjecti directa atque ordinata intelligerentur in Deum, ut finem.

Neque vero sufficit generalis illa, et confusa relatio operum in Deum, quam facere debent vel solent, qui recipiunt habitum charitatis infusæ; alioqui (ut diximus) non ita sedulo Apostolus hortaretur, ut omnia in Dei gloriam faceremus, neque diceret I. Corinth. ultim., omnia vestra in charitate fiant, si non posset accedere; ut opera justorum in charitate, vel ex charitate non fierent. Maneat igitur opera meritoria, id ex necessitate requirere, ut actu vel virtute a charitate dirigantur, atque ordinentur in Deum.

## CAPUT XVI.

*Opera justorum ex charitate facta, meritoria esse vitæ æternæ ex condigno.*

Disseruimus hactenus de merito, an sit, et quid sit: sequitur nunc, ut quale sit videamus. Sunt autem tres, de hac re questiones. Una sitne meritum justorum dicendum ex condigno, an ex congruo. Altera, sitne condignum ratione promissionis tantum, an etiam ratione operis. Tertia, num Deus remuneret opera justorum supra condignum, et impiorum citra condignum.

Quod attinet ad primam questionem, Catholici omnes agnoscunt opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ, sed tamen aliqui censent non esse utendum his vocibus de condigno, et de congruo, sed absolute dicendum, opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ, ex gratia Dei. Ita docet Thomas Waldensis, tomo 3. de Sacramentalibus cap. 7. cui subscribere visus est Paulus Burgensis, in additione ad commentarium Nicolai Lyrani, in Psal. xxxv.

Alii volunt opera bona justorum esse meritoria de condigno, largo modo, ita ut hoc condignum respectu condigni proprie sumpti possit dici congruum, respectu congrui proprie sumpti possit dici condignum. Ita docent Durandus in 2. sentent. distinct. 27. quæst. 2. Et Gregorius in 1. Sentent. dist. 17. quæst. 1. art. 2.

Communis autem sententia Theologorum admittit simpliciter, meritum de condigno. Quæ sententia verissima est. Et quidem quod ad voces attinet, recte dicuntur, merita nostra esse ex gratia Dei, sicut etiam vere dicuntur esse munera Dei, tamen non minus recte dicuntur esse ex justitia et ex condigno. Nam Scriptura divina satis aper-

te agnoscit has voces, dum dicit, Colossens. i. *Ut ambuletis digne Deo.* Et II. Thessal. i. *Ut digni habeamini regno Dei.* Et Apoc. iii. *Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt* (1).

Quod vero quidam distinguunt inter dignum et condignum, et meritum ex digno admittunt, non ex condigno, nimis leve est. Nam interpres Latinus eandem vocem Græcam, nunc vertit dignum, ut in locis citatis, nunc condignum, ut ad Roman. viii. *Non sunt condignæ passionis etc.* (2).

Quod vero attinet ad rem ipsam, Durandi sententia, si nihil aliud vellet, nisi merita nostra non esse ex condigno, sive ex justitia absolute, sed tantum ex hypothesi, id est, posita liberali Dei promissione non esset reprobanda. Cæterum videtur omnino velle, merita nostra ex gratia Dei procedentia, et posita promissione, adhuc non esse talia, ut eis ex justitia debeatur merces, sed ex sola Dei liberalitate. In quo sensu refellitur a Theologis communi fere omnium consensu, et merito, pugnant enim contra eam sententiam omnia argumenta, quæ fecimus adversus hæreticos. Omnia enim probant justo Dei judicio deberi meritis operum honorum mercedem vitæ æternæ.

Neque necesse erit hoc loco illa repetere. Satis erit, paucis refutare quatuor ejus dicta, quibus potissimum ejus sententia niti videtur. Dicit enim primo, temerarium et blasphemum esse dicere, Deum fore injustum, si meritis hominum justorum non reddat mercedem promissam.

Dicit secundo, non exstare in sacris litteris promissionem, quæ Deum obliget ad reddendam mercedem, sed tantum, quæ doceat, Deum ordinasse, ac disposuisse vitam æternam dare iis, qui mandata servaverint.

Dicit tertio, in illis B. Pauli verbis, II ad Tim. iv. *Quam reddet mihi in illa die justus Judex* (3); recte positum esse, *Justus Judex*, et recte non esse positum, justo judicio, quia Deus, qui reddit præmia justis, et pœnas injustis, justus et misericors est, et ut justus, justo judicio pœnas reddit injustis; ut misericors, liberaliter præmia tribuit justis.

Dicit quarto, non posse ullum ex justitia mercedem ab alio petere, nisi reddat ei omnia, quæ illius sunt, et aliquid amplius; nos autem, non posse Deo unquam reddere om-

nia, quæ illius sunt, nedum aliquid amplius, cum omnia sint ipsius.

Ad primum respondeo, non esse temerarium nec blasphemum, sed pium et sanctum dicere Deum fore injustum, si non servaret promissa. Sic enim loquuntur Scripturæ et Patres. Quid enim sibi vult illud Psal. cxliv. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis?* Et ibidem: *Justus Dominus in omnibus viis suis?* Et illud II Esdræ ix. *Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abraham, et invenisti cor ejus fidele coram te, et percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terram Amorrhæi, et Jebusei, et implesti verba tua, quoniam justus es?* Et illud ad Hebr. vi. *Non est injustus Deus, qui obliviscatur operis vestri et laboris* (4)? Certe qui dicit, Deus implet verba sua, quoniam justus est, et non obliviscitur Deus laboris et operis suorum, quia injustus non est: manifeste significat, eum injustum fore, si secus faceret.

S. Augustinus libro de natura et gratia cap. 2. « Non est, inquit, injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ ». Et lib. iv. in Julianum cap. 3. « Per quod, inquit, vera justitia, per hoc et regnum Dei, Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus ». Vides quam non timeat S. Augustinus temeritatem, vel blasphemiam, si dicat, Deum injustum fore, si justos excludat a regno.

Adde, quod si Deus non servando promissa, non esset injustus, posset certe non servare promissa: ac per hoc posset non esse fidelis, posset mentiri, posset negare se ipsum, quæ vere temeraria sunt, atque blasphema: *Nam si nos negaverimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest*, II ad Timoth. 2. Item: *Quam promisit, qui non mentitur Deus*, Tit. i. Item: *Impossibile est mentiri Deum*, Hebr. vi. Item: *Fidelis est, qui repromisit*, Hebr. x.

Ad secundum respondeo: Omnem veram promissionem ferre secum obligationem, et ideo ex justitia implendam esse, atque servandam. Nam idcirco fidelis dicitur, qui stat promissis, infidelis, qui promissa non præstat. Exstare autem in Scripturis non solum ordinationem et dispositionem, sive propositum, sed etiam promissionem, quæ ad fidelitatem vere perlineat, perspicuum est ex loco citato, ad Tit. i. *Secundum spem vi-*

(1) Col. i; II Thess. I, 5; Ap. III, 4. — (2) Rom. VIII, 18. — (3) II Tim. IV, 8. — (4) Psal. CXLIV, 13; ibid. 17; II Esd. IX, 8; Heb. VI, 40. — (5) II Tim. II, 12; Tit. I, 2; Heb. VI, 18; ibid. X, 24.



*ta æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus. Et Jacobi I. Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (1).*

Deinde, similitudo bravii, cui comparat Apostolus vitam æternam, I Corinth. IX. similitudo denarii diurni ex conventione promissi laborantibus in vinea, Matth. XX. similitudo depositi, quæ habetur II Timoth. I. et alia id genus multa, nonne apertissime significant promissionem ex debito et obligatione reddendam?

Quid quod Patres passim dicunt, Deum fieri hominibus propter bona opera debitorem. S. Cyprianus, in serm. de eleemosyna, extremo, de eo, qui bene operatur: « Deum, inquit, computat debitorem ».

S. Basilius, orat. ad divites: « Opera, inquit, ostende, et exige retributionem ».

S. Ambrosius serm. 7. in Psal. CXVIII. in illud: Memor esto verbi tui: « Vult, inquit, Deus conveniri, ut si quis proposita secutus virtutibus præmia bene certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat ».

S. Joannes Chrysostomus hom. 3. in Matth. « Ut se, inquit, Deus tibi debitorem fateatur non solum pro operibus, sed etiam pro hac gratia, humilique sententia ».

S. Augustinus in Psal. LXXXIII. in illud: Misericordiam et veritatem diligit Dominus: « Ecce, inquit, videmus, quia tenet eum Paulus debitorem ». Item: « Debitorem, inquit, Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, redde quod accepisti, sed redde quod promisisti ». Similia supra citavimus ex Paulino ad Victricium, et Fulgentio ad Monimum.

Ad tertium respondeo, non recte a Durando exponi sententiam Apostoli, quod enim illa verba, *quam reddet mihi justus judec*, sint accipienda formaliter, ut sensus sit, reddet mihi Dominus, quatenus est justus judec, ac per hoc ex justitia, non ex sola liberalitate, planum est, primo, ex singulis pene verbis illius sententiæ, ut ex illis, *bonum certamen certavi*. Item ex illo, *reddet, et ex illo, corona justitiæ*.

Secundo, quia supervacaneum esset illud, *justus judec*, eo loco, ubi non agitur de pœnis impiorum, sed de præmiis tantum justorum, si Deus pœnas solum ut justus judec infingeret, præmia vero, ut liberalis donator, effunderet.

(1) Tit. I, 2; Jacob. I, 12.

Tertio ex Augustino, qui loco citato in Psalm. LXXXIII. hunc locum Apostoli tractans, dicit, Deum indulgentiæ esse largitorem, coronæ autem debitorem, et ideo indulgentiam tribuere ut patrem, coronam justitiæ, ut judicem justum. Item in lib. de gratia et libero arbitrio, eundem locum exponens cap. 6. « Cui redderet, inquit, coronam justus judec, si non donasset gratiam misericors Pater »? Et in lib. de correptione et gratia cap. 13, non solum vitam æternam, sed etiam misericordiam in remissione venialium dicit, justo judicio bonis meritis reddi.

Denique, in aliis locis idem Apostolus non solum dixit, justum judicem esse Deum in remuneratione operum honorum, sed etiam justum esse apud Deum, ut bona opera remuneret, II Thess. I. Et ibidem disertis verbis dicit, justo judicio Dei Thessalonicenses dignos haberi regno Dei, pro quo patiebantur.

Ad quartum respondeo, absolute non posse hominem a Deo aliquid exigere, cum omnia sint ipsius, tamen posita ejus voluntate, et pacto, quo non vult exigere a nobis opera nostra gratis, sed mercedem reddere juxta proportionem operum, vere possumus ab eo mercedem exigere: quomodo servus non potest absolute a domino suo ullum præmium postulare, cum omnia, quæ servus acquirit, domino suo acquirat: tamen si domino placeat donare illi opera sua, et pro iisdem tamquam sibi non debitis mercedem promittere, jure mercedem pro suis operibus postulabit.

Deinde, objectio ista Durandi locum haberet, si Deus ex justitia commutativa mercedem redderet operibus bonis: sed cum Deus ex justitia distributiva præmia bene operantibus dare decreverit, non est opus, ut ei proprie aliquid demus. Nam neque ii, qui currunt ad bravium, dant aliquid regi, et tamen tenetur rex bravium tribuere ei qui cæteros in cursu superaverit. Mancat igitur, opera bona justorum ex justitia, atque adeo ex condigno mereri vitam æternam.

## CAPUT XVII.

*Opera bona justorum meritoria esse ex condigno, non solum ratione pacti, sed etiam ratione operum.*

Altera quæstio sequitur, Utrum opera bona sint meritoria ex condigno ratione pacti tantum, an ratione operis tantum, an ratione utriusque. Neque enim dubitari debet, quin meritum ex condigno his tribus modis variari possit. Nam si forte opus aliquod sit multo inferius mercede ex conventionem promissa, ut si dominus vineæ conducere operarios, et non denarium diurnum, sed centum nummos aureos pro mercede promitteret, esset ejusmodi meritum ex condigno, ratione pacti, non ratione operis.

Contra vero si opus sit revera æquale mercedi, vel forte etiam majus, sed conventio nulla intervenerit; si dici debeat ejusmodi meritum ex condigno, dici debet ex condigno ratione operis, non ratione pacti. Et in malis quidem facile reperimus meritum pœnæ ex condigno ratione operis, non ratione pacti, quoniam sine ulla conventionem qui alterum lædit, satisfacere tenetur, atque ad pœnam a iudice compelli potest. Utrum autem in bonis sit aliquod meritum vere de condigno ratione operis, non ratione pacti, paulo post videbimus.

Denique, si et pactum intercedat, et opus sit vere par mercedi, ut cum operarii ad vineam juxta Evangelium conducuntur pro denario diurno, id meritum erit ex condigno ratione operis et ratione pacti.

Non desunt qui censeant, opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiamsi nulla extaret divina conventio. Ita enim docet Cajetanus in 1. 2. quæst. 114. art. 3. Et idem videtur sensisse Dominicus a Soto lib. III. de natura et gratia cap. 7.

Alii contra existimant opera bona ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantum ratione pacti, et acceptationis divinæ. Ita docet Scotus in 1. sentent. dist. 17. quæst. 2. quem alii quoque sequuntur ex veteribus scholasticis, et ex recentioribus Andreas Vega, in opusculo de justificatione quæst. 5.

Distat autem hæc opinio longissime ab hæresi Lutheranorum. Non enim Scotus

censet, opera bona non esse vere bona, sed peccata, si ad legem divinam examinentur, ut Lutherani censent; sed existimat opera justorum esse bona vere et proprie, sed non tam excellentia, ut proportionem habeant cum vita æterna, et ideo acceptari quidem a Deo ad justitiam et dignam mercedem vitæ æternæ, sed ex pacto et promissione, non ex operis dignitate.

Nobis media sententia probabilior esse videtur, quæ docet, opera bona justorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno ratione pacti, et operis simul, non quidem quod sine pacto, vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamvis par, et æquale mercedi, nisi conventio interveniat. Quam sententiam conformem esse non dubitamus Concilio Tridentino et principibus Theologorum S. Thomæ, in 1. 2. quæst. 114. artic. 1. ad 3, S. Bonaventuræ, et aliis in 2. sent. distinct. 27.

Primum igitur opera justorum, remoto pacto, vel promissione, non esse meritoria vitæ æternæ ex condigno, sive ex justitia, ita ut non possit Deus sine injustitia talem negare mercedem; satis probatum est supra cap. 14. in 2. ratione. Scriptura siquidem et Patres ubicumque dicunt, Deum fidelem esse, et justum in reddendo præmio, semper aut fere semper mentionem faciunt promissionis.

At (inquiunt) filio debetur hæreditas, si bene se gesserit, etiamsi nulla conventio inter patrem et filium intercedat. Nos autem per gratiam filii Dei sumus; igitur, si bene operemur, debebitur nobis hæreditas vitæ æternæ, etiamsi nulla conventio vel promissio intercedat.

Respondeo: aliud esse loqui de merito personæ, aliud de merito operis. Et rursus aliud de vita æterna, ut est hæreditas, aliud ut est merces, stipendium, bravium. Nam ex eo quod aliquis est filius Dei per gratiam, meretur ex condigno hæreditatem vitæ æternæ, sine alio pacto, sed merito personæ, non merito operis. Nam etiam infantibus, qui decedunt mox a Baptismo, quia filii Dei sunt, debetur jure hæreditas, et ipsi eam mereri dici possunt, non merito operis, sed personæ. Quemadmodum etiam cum distribuenda sunt officia, vel beneficia publica melioribus civibus, illi dicuntur ea mereri ex condigno, qui sunt optimi inter cives.